

## Cartulaire de l'abbaye de Gorze, Nr. 68

In nomine sancte et individue Trinitatis. Hludovicus, divina favente gratia, rex. Quicquid enim locis sanctorum venerabilium ibique Deo degentium fratrum ob amorem domini nostri Jesu Christi pia devotione augmentamus vel confirmamus, hoc nobis procul dubio ad mercedem vel stabilitatem regni in Dei nomine pertinere confidimus, et profuturum nobis ad presentis vite curricula felicius transigenda, necnon et beatitudinis premia securius obtinenda non dubitamus. Quapropter comperiat omnium sancte ecclesie Dei fidelium nostrorumque presentium ecilicet et futurorum industrie, quod fratres ex cenobio sancti Petri necnon et beatissimi Gorgonii martiris eximii Christi, post obitum Adventii, episcopi, nostram adeuntes clementiam, reclamando innotuerunt quod substantia et victus illorum minus deerant necessaria; unde deprecantes nostram mansuetudinem ut, pro amore Dei et reverentia sanctorum inibi quiescentium, nostra largitate ex rebus eiusdem ecclesie aliquid restitueremus, et restituta in augmentum substantie, victus et vestimenti, pro remedio animarum antecessorum nostrorum, nostreque ac coniugis seu sobolum nostrarum, deinceps ad emolumentum proficerent. Quorum petitionibus aures misericordie nostre libenter assensum prebentes, quia ipsa ecclesia in nostris manibus habebatur, per consultum Bertulfi, Treverensis ecclesie venerabilis archiepiscopi, ceterorumque nostrorum fidelium, ad eorumdem fratrum usus concessimus, ac precepto auctoritatis nostre constituimus, hoc est, villam Monte Vironis, una cum ecclesia et mansis cum omni integritate ad ipsam villam iuste pertinentibus, eo scilicet rationis tenore ut deinceps, nostris futurisque temporibus, potestatem habeant ipsi monachi de prefatis rebus ordinandi, legitimo dumtaxat iure, de suis usibus quicquid rationabiliter, una cum prelato, voluerit vel elegerint, et nulla regia vel episcopalis unquam potestas hoc nostre auctoritatis preceptum infringere vel violare audeat, sed, ut superius dictum est, pro mercedis nostre augmento, ac genitoris sobolumque nostrarum, attentius Domini implorent misericordiam. Et ut hec nostre augmentationis confirmatio futuris temporibus firmior habeatur, manu propria nostra subter eam signavimus et firmavimus, et anuli nostri impressione assignari iussimus. Signum Hludovici serenissimi regis. Actum anno ab incarnatione Domini DCCCLXXVI, indictione IX, epacta XXII, concurrente VII, anno VIII regni Hludovici, serenissimi regis, in orientali parte Frantia regnantis. Actum Metis civitate, in Dei nomine feliciter. Amen. Lutdrandus, diaconus, ad vicem Luitherii, archicappellani, recognovi et